



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio CXXXVII. De gratitudine, quam debemus Christo Jesu, pro nostra, omniúmque salute in crucem suffixo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO CXXVII.

De Gratitudine, quam debemus Christo  
Jesu pro nostra, omniumque salute in cru-  
cem suffixo.

*Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino  
nostro. 1. Tim. 1. 12.*

1.

Ecclef. 1. 7.

**R**ectè Ecclesiastes: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redun-  
dat: ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.*  
Mare omnium gratiarum est Christus JESUS & hic Crucifixus,  
ex quo omnia gratiarum fluunt flumina, ac præsertim quin-  
que Sacratissima ejus Vulnera, per quæ redempti, & à pec-  
catis mundati sumus. Sed oportet, ut & illuc, unde exeunt, nostra  
revertantur merita, & omnis gratiarum actio, ut cum S. Paulo dicere

1. Tim. 1. 12. possumus: *Gratias ago ei, qui me confortavit* (per passionem ac SS. Vul-  
nera sua) *Christo Jesu Domino nostro,* & quidem, prout ulterius urget

1. Theosal. 2. idem Doctor Gentium: *Gratias agimus Deo sine intermissione,* quia di-  
gnus est Agnus, qui occisus est, accipere à nobis omnem benedictionem  
& gratiarum actionem tum hic in vita, tum per omnem æternitatem.

Psal. 115. 12.

2. *Quid retribuam Domino,* dicebat quondam David, *pro omnibus quæ  
retribuit mihi?* Et mox subjungit: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Do-  
mini invocabo.* Quares, qualis sit ille calix salutaris? R. Tirinus: *Calix  
salvationis, seu redemptionis mea,* non enim ignorabat David per Chri-  
stum post mille annos venturum, futuram esse generis humani re-  
demptionem, proinde gratus DEO esse voluit, unde jam tunc illi  
hostias pacificas & Eucharisticas libavit. Imitare & tu, anime mihi  
hanc piissimam Davidis intentionem, & cum crucifixum aspicias, dic  
apud te ipsum: *Quid retribuam Domino?*

Tirin. hie.

3. Et quid dico de Tobia seniore, ejusque filio Tobia juniore?  
Ubi viderunt, & mente attentiore pensarunt beneficia, quæ Raphael  
Arch-



Archangelus in peregrini specie ipsis contulit, dixerunt ad invicem: Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? Cui subjunxit filius: Tob. 12, 1. Pater, quam mercedem dabimus ei? Aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? Me duxit, & reduxit sanum, pecuniam à Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, & demonium ab ea ipse compefcuit, gaudium parentibus ejus fecit, me ipsum à devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cali, & bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?

Plus dedit pro te JESUS, Deus & Homo Crucifixus: Creavit, & redemit te, enutrivit, & educavit te, toties ab inferni barathro te eripuit, quoties lethaliter peccasti, te hæcenus viatorem per tot vias, ambages & vitæ pericula securè duxit, & reduxit, & ne æternùm perires, ipse pro te mortem acerbissimam in cruce subire dignatus est, & sic à devoratione piscis infernalis te liberavit; quam ergò mercedem & gratiarum actionem huic summo benefactori tuo poteris referre: Quid possumus dare viro isti sancto?

Raphael Archangelus hoc solum petiit: *Benedicite Deum, & coram omnibus v ventibus confitemini ei, quia fecit vobis sum misericordiam suam.* Hoc & ego à te postulo, anime mi! Si piam aspicias Crucifixi Salvatoris tui imaginem: *Benedic Deum &c.*

4. Et quomodo, dices satis gratus esse possum Amori meo Crucifixi? Si enim mille viras haberem, omnes pro illius amore & honore deberem impendere; & hoc quidem verum est; sed audi à Doctore Angelico faciliorem modum, qui pro gratitudine hæc tria requirit: *Gratitudo, inquit, consistit in intellectu, lingua & opere;* in intellectu s. Th. D. infra quidem, dum rimamus, pensamus & æstimamus beneficiorum magnitudinem, quam nobis contulit JESUS & hic crucifixus, dum per eum O& Nat. ab interitu servati ac liberati sumus: *Empi estis pretio magno;* In lingua 1. Cor. 6. 20. & voce, dum hunc summum Benefactorem nostrum pro omni possibili modo prædicamus, laudamus, & sanctum Nomen ejus humiliter invocamus; unde Psalter Regius: *Exultabunt labia mea, cum cantavero Psal. 70. 23. tibi, & anima mea, quam redemisti:* In opere & agendo, dum pro ipso & cum ipso tribulationes & cruces immittas patienti & constanti animo sustinemus, hinc S. Petrus: *Charissimi, Christus passus est pro nobis, vos relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* 1. Petr. 2.

5. Et dic, obsecro Sodes! si quis amicorum tuorum pro tua salute & conservanda anima tua dedisset oculum, manum vel pedem, vel aliud quoddam membrum, & sic mutilus per omnem remaneret vitam, nunquid, si talem imposterùm cerneres, & offenderes in via



amicum, illi te gratum profitereris & obstrictum, quia pro te talia ac tam indigna passus est?

Tolle oculos tuos ad Christum JESUM & hunc crucifixum, illum- que à vertice capitis usque ad pedes toto corpore fauciatum intueri ac contemplare; & nunquid dignus erit tuo aspectu, tuo affectu, tuo amore, ut te tanto imposterum magis gratum exhibeas Benefactori,

**S. Bernh. for- mula honeste vitæ.** & amico omnium maximo? Unde rectè S. Bernhardus: *Sic JESUS Christus tibi semper in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hac tibi sint cibus & potus, dulcedo & gloria tua, mel tuum & desiderium tuum, lectio tua & meditatio tua &c.*

**Gen 8. 11.** 6. Columba illa Noemica, cessante diluvio, dum non invenis ubi requiesceret pes ejus, sine mora ad benefactorem suum Noemum in arcam reverta est, portans ei virentis olivæ ramum in signum gratitudinis, quòd per ipsum ab interitu fuerit conservata: *At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis.* En pulcherrimum grati animi typum! Noemustus, anima Christiana, JESUS Crucifixus est, hic te servavit à diluvio peccatorum & ab interitu, quia Crux illius, prout canit Ecclesia, *arca mundo naufrago facta est; o quam grata esse debes huic summo benefactori tuo; Esto Columbinus,* ait Baradius, *gratusque homo ad Christum, peccatorum inundatione cessante, gratiarum laudes grato ore proferens.*

**Exod. 29. 38.** 7. Olim electus Dei populus DEO T. O. M. in signum grati animi, quòd tam benignè à servitute Ægyptiaca ab eo liberatus fuerit, quotidie duos agnos immaculatos offerre & libare debuit, unum manè alterum vespere: *Hoc est, quod facies in altari: Agnos anniculos duos per singulos dies.* Hoc fac & tu, anime mi, redemit te JESUS & hic Crucifixus à servitute diabolica, esto ei gratus manè & vespere: Manè devotè assistendo sacrificio missæ, dum idem sacrificium est, quod olim Christus obtulit in cruce solà offerendi ratione diversà, dum hic in missa incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit. Offer & vespere cum summa gratiarum actione eundem divinum agnum, procumbens ad pedes hujus Crucifixi Amoris tui, dolens de peccatis tuis &c. *Depinge,* ait S. Bernhardus, *tibi quasi ante oculos Dominum in cruce pendentem, & nunc pro clavibus, nunc pro lancea suspirabis & gratias ages: Nunc apud manum, nunc apud pedum Vulnere veniam quæres.*

**Nadal. 16. April. & al.** 8. Talis gratus amator & imitator Crucifixi JESU fuit S. Lambertus M. Cæsaraugustæ in Hispania oriundus, qui cum pro Christo post varia exantlata tormenta tandem capite plecteretur, abscissum caput suum ipse de terra sustulit, & ad aliorum SS. Martyrum sepulchra,



chra, mirantibus omnibus asportavit, lætâ voce decantans: *Exultabunt Sancti in gloria*, cui cæteri SS. Martyres illic sepulti responderunt: *Lætantur in subilibus suis*. Passus est anno Christi 306.

9. Quid dico de S. Concordio Presbytero Romæ nato, & Spo-  
leti in persecutione Christianorum tempore Antonini Imperatoris se  
ipsum Crucifixo Domino suo in victimam offerente? Cùm à iudice  
Torquato interrogaretur: Quis esset, & quo appellaretur nomine?  
Liberè respondit: *Christianus sum*, & cùm rursus rogaretur de nomine,  
nil aliud respondit: *Christianus sum*. Parantur fustes, cæditur immani-  
ter, suspenditur in cruce & equuleo, & quid ille? *Gloria tibi Domine*  
*Jesu Christe*: demittitur de fatali ligno, raptatur de novo in carcerem,  
ubilætus decantavit: *Gloria in excelsis Deo*; Proponitur illi simulacrum  
Jovis, ut eidem sacrificet, sed in illum expuit, audiens interim hanc  
dulcissimam de cœlo vocem: *Noli timere, sed viriliter age, quia ego te-  
cum sum*. Sic amputato capite ad pretiosam martyrii coronam, & ad  
Christum crucifixum, nunc in cœlo regnantem, gloriosus migravit:  
Disce gratitudinem, disce amorem in crucifixum JESUM: si verus  
servus & miles Christi es, non sentis tua vulnera, si Ducis tui intueris  
plagas. Quid ergo retribues pro omnibus beneficiis ejus? Quid  
retribues Domino?

Martyrol.  
Canis, & Na-  
das. 1. Jan.  
Passus est  
anno Domini  
67.



## CONSIDERATIO CXXXVIII.

De ingratitude illorum, qui vix, vel  
parum recogitant de summo Benefactore suo  
Crucifixo JESU.

*Hæcne reddis Domino popule stulte & insipiens? Num-  
quid non est ipse pater tuus, qui possedit te, & crea-  
vit te? Deut. 32. 9.*

1.

**I**saïas Prophetarum princeps, ubi summam mortalium ingrati-  
tudinem erga summum benefactorem suum JESUM & hunc cruci-  
fixum statim in principio vaticinii sui in spiritu prævidit, atque  
expendit, indignatus tanto sceleri, cœlos & terram provocavit,  
ut